SOLENNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO ASCHAFFENBURGENSI

RITE CELEBRANDA

COLLEGII PROFESSORUM NOMINE

INDICIT

CAROLUS SEB. SEIFERLING,
GYMN[redacted]



INEST DE APOLLINIS NUMINE SACRISQUE COMMENTATIO, CUI DE SUMMA MYTHOLOGIAE QUAEDAM PRAEMITTUNTUR.

ASCHAFFENBURGI MDCCCXXXVIII.
TYPIS WAILANDTIANIS.



Quum in omnibus, quae ad antiquitatem pertinent, studiis multa sint, quae ad ingenium varia rerum doctrina imbuendum et ad humanitatis sensum excitandum conferant: tum in ea, quae ad mythologiam spectat, parte non pauca reperiuntur, quibus, quae in animis juvenum latent, semina veri et pulcri elici possint et ad laetam educi ubertatem. Quapropter in hac parte elaborandum mihi ac pro viribus enitendum putavi, ut in campo quamvis angusto et arctis finibus circumscripto paucas tantum spicas legerem, messem iis relinquens uberiorem, qui et diuturno rerum usu magis exercitati ingenioque sollertiore exornati ad hanc rem accedant.

Generatim atque universe de mythologia disserere quaedam et in his primum, quid causae fuerit, cur pleraeque antiquitatis gentes ad multos deos colendos ab uno numine venerando defecerint, adjumentis modicis quidem instructus, sed optimo consilio, paucis verbis exponere conabor, priusquam ad Apollinem ejusque symbola parvis quasi lineamentis adumbranda transeam.

Sunt plures hujus defectionis causae, quarum primam esse symbola non satis perspecta haud quisquam negaverit; nam vehementior quaedam, cujus ipse desiderat interpretem, interna hominis impulsio ad ea signis quibusdam luculentis illustranda, quae animus singulari amplectitur veneratione, auctor fuit symbolorum tantum non ubique praecipuus. Quae symbola qui cogitatione primus finxit, eorum vim ac significationem pure integreque servavit; quid interesset inter symbolum ejusque vim, et quam parum signum infinitae Dei naturae conveniret, nondum ignoravit. At ore posteritati traditum longe aliud evasisse signum apud eos, qui acceperant, non mirum. Eo facilius haec permutatio tum sequetur, quum universus populus deliberando unum idemque insigne

symbolum in memoriam Dei accipere constituerit. Succrescens progenies jam a prima pueritia signum spectat atque parentes summa cum pietate illud venerantes intuetur. Exemplo et verbis ad verecundiam adducunt parentes infantem; quae cur ita fiant, quum infans non intelligat, monstrando signo ut intelligat, efficere conantur parentes. Hac ratione mox tota progenies signum cum Deo commiscebit. Eodem modo gentes aliae alia confundunt signa, et postea pro tribus signis deos tres invenimus, qui arcta propinquitate inter se conjuncti sunt aut hostiliter sibi adversantur pro necessitudine, quae intercedit inter populos; quumque tot nationes migrando sibi occurrerent, et suum quaeque natio deum secum afferret, deorum numerus augebatur, unaque gens unum eundemque deum variis signis ac nominibus notatum adferebat. Commixtis igitur populis, deorum quoque nomina commiscebantur, unde alteram Polytheismi, quem vocant, causam profectam esse puto. Sed, quas proposui causas, eae non fuerunt solae. A conformatione quoque moralium virtutum unius ejusdemque numinis auctus deorum numerus originem traxisse videtur, ut ab Aphrodite Gratiae sejunguntur, et ex rebus adtributis dearum comites fiunt. Ab Homero quidem una tantummodo memoratur; ab antiquissimis Spartanis duae cultae fuisse dicuntur; apud Hesiodum vers. 909 Theogon. jam tres invenies, Aglaiam, Euphrosynen et Thaliam, ut nostrates dicunt, Reiz, Freundlichkeit und Blüthe. Ita porro in Palladis fabula res adtributa cognoscitur: ex Jovis capite oritur Minerva, sapientiae dea, ubi summi dei sapientiam humana specie indutam esse apparet. Quartam his adde causam, quod ad originem rerum explicandam plures morales aut naturales conjunctas fuisse vires putabant, qua in re tertium quoddam illas consocians procedit, vel alterutrum potius est, ita ut divinae naturae unitatem intelligas. Sic apud Hesiodum doctrina de rebus coelestibus Terram et Coelum vim mutuam proponit; quum vero unitatem dei dissolvere nequeat, Terram ex se ipsa procreatam dicit, unam primitus deam. Terra mater ac conjux Coeli sive Urani apparet, quemadmodum apud Aegyptios Isidem matrem ac conjugem Osiridis invenies, ut apud Persas Ormuzd et Ahriman, quibus Mithras intercedit. Alia fert fama, Ormuzd deo Ahrimanum inferiorem aliquando fore; aliis auctoribus uterque hostiliter inter se usque ad exitum rerum luctatur, quo facto Zervano, summo deorum, sacra facient communia. Quinta fuit causa, quod planetis aliisque naturae partibus inditos quosdam genios praeesse putabant, quos in ipsum deorum numerum retulerunt, unde fiebat, ut soli et lunae sui dei adtribuerentur.

Huc accedit, quod viros fortissimos, de populo optime meritos, ad parem perduxere honorem, qua ex causa jam auctus deorum numerus amplius augebatur. Regionis cujusdam dei nomen ad reges et dominos conferebant, quo eorum majestatem significarent hisque imperii exemplum proponerent. Sic Mithrae nomen saepe cum nomine regum compositum est, ut in voce Mithridatis. In Graecia vero Heraclis nomen prorsus translatum fuisse videtur. Principio enim Heracles deus validae naturae fuit et postea hoc nomine insignes principes ornati esse videntur, qui cultum ejus ex Aegypto secum transduxerant. Tum alii quoque in heroum numerum recipiebantur. Nec minus portenta naturae, quorum causae indagabantur, fabulis locum dederunt. Adde verba insignia, imagine expressa, et parum intellecta, ut metaphoram de Pelopis eburneo humero. Pindarus fabulam longe aliter, atque alii, refert: Tantalum, ait, a diis ob superbiam modo de coelo praecipitatum esse, Pelopem autem constare a Neptuno ob formositatem amatum ejusque a Clothone ex pelvi protracti humerum nitidum ebore exornatum esse. Haec est translatio: Clotho, parturientium adjutrix, e gremio matris demit Pelopem, cujus humeri (ad formositatem indicandam) eboris instar nitebant. Male intellecta metaphora originem dedit absurdae fabulae. Auctas fabulas inde quoque repetas, quod genera nobilia, et reges cum diis ipsis, de quorum cultu valde meriti erant, varie commisti sunt, ut Dionysus et Hermes.

Mythologia *) Graecorum cum primordiis rerum Graecarum cohaeret, quum

---

*) Liceat mihi afferre, quomodo Baur in Symbolica et Mythologia μῦθον definiverit his usus verbis: Das Wort μῦθος kommt von der Wurzel μύω her, und ist ursprünglich ein nachahmender Ausdruck des Tons und der Bewegung, wenn man die Lippen schliesst und die Luft aus der Nase stösst. In dieser ursprünglichen Bedeutung kömmt jedoch das Wort μῦθος nicht vor, sondern es heisst sogleich entweder Gedanke, oder Rede jeder Art, doch so, dass immer die eine Bedeutung in Beziehung steht mit der andern. Den Zusammenhang zwischen beiden Bedeutungen zeigt uns nämlich der oft vorkommende Homerische Ausdruck: μυθεῖσθαι πρὸς ὃν θυμὸν z. B. Il. XVII. v. 200, oder auch εἰπεῖν XI. 403, nach welchem man schon früh das Denken als ein inneres Reden ansah. Μῦθος also ist das innerlich Gedachte, sofern es durch Worte äusserlich wird, wobei man treffend an das dem griechischen Worte in Laut und Bedeutung verwandte deutsche Wort Gemüth (θῦμος) erinnert hat. — Μῦθος ist eine zwar erdichtete Erzählung, die aber indirect zur Darlegung einer philosophischen Idee dient, im Gegensatze gegen λόγος, der es direct thun würde. —

partim res ab antiquis regibus ac viris fortissimis gestae cum fabulis sint conjunctae, partim eruditionis gradus, et societas populi, qua alios attingebat populos, permagnam vim ad varias fabularum formas habuerint, id quod inprimis in fabulis Graecorum respiciendum est. Ab antiquissimis enim temporibus apertas expeditasque offert vias publicas et portus Graecia, quibus rebus multo facilius nationes disjunctae conjunguntur. Quapropter nationibus migrandi avidis multa eaque commoda dedit commercii loca. Huc accedit, quod circumcirca eos ejusmodi habitabant gentes, ut Phoenices, quibus altus mons Libanon ligna navibus aedificandis aptissima suppeditabat; meridiem versus Aegyptii, Libyes et alii. Expeditis tali modo commerciis cogitationes diversarum gentium augebantur, et artes, instituta moresque alia gens ab alia mutuabatur. Neutiquam singuli tantummodo inter se concurrebant populi, sed antiquissimis illis temporibus, quorum fit mentio in narrationibus populorum, varii coloni ad Graeciae oras advenerant. Inachus et Phoroneus tum multas eorum turbas, qui ex Aegypto Libyaque emigraverant, ad litus Argolidis exposuisse dicuntur. Cecrops ex Saide cum colonia popularium ad Atticam navibus appulsus est, ex quo Cecropia appellata est; Athenae nomen postea urbi inditum est, quum dea, quam ex Saide attulerat Cecrops, ibi consedisset. Ad vicinam huic regioni Eleusina ex Thracia venit Eumolpus, qui principatum et sacerdotium, quae erant inter se conjuncta, instituit. Sub annum quingentesimum undevicesimum a. Chr. Cadmus, Agenoris filius, ex Phoenice navi advectus in Boeotia collocavit colonos, ubi Cadmeam arcem exstruxit. Cadmus eandem vim habet atque vir orientalis, Thebasque Graeciae urbem ab colonis ex Thebis, Aegypti urbe, profectis, nomen cepisse, verisimile est. Sic raptus Europae significet fortasse, magnam incolarum multitudinem trans Hellespontum trajecisse in Europam, quae res in fabulae formam abiit. Sub idem fere tempus Danaus Aegyptius primam ab Inacho deductam coloniam circa Argolidem auxit, idemque magnum colonorum numerum trajecit et in fabula Danaidarum nobilitas Danai generis celebrata est. Jam ante Cecropem a veteribus fit mentio in Attica Pelasgorum; tum enim terra appellata est Κραναΐς; postea vero propter discordias, quae fontis causa ortae sunt, petierunt Lemnum. Et in Samothracia collocarunt sedes, qua in insula mysteria condebant; itemque in Argolide, Arcadia et Macedonia. In Corcyra quoque et in Italia fuisse dicuntur; nec non vestigia eorum exstant in Salamina et Chalcide, capite Euboeae. Sed de nomine, origine ac moribus Pelasgorum nihil sane est, quod historici

pro certo dicere audeant. Utrum ἀπὸ τοῦ πελάζειν (ich nähere mich) appellati sint, an πελαργοί nomen iis fuerit, ut conjecturam fecit Strabo, quae vox e graeca voce πελαργός (Storch) ducitur, non liquet. Saepenumero enim littera ρ cum littera σ commutata est; sed vagae eorum sedes migrationesque continuae ceteris Graecis, ut illi a reliquis πελαργοὶ vocitarentur, causa fuisse videntur. Cares quoque, cum Pelasgis collisi, vi insula depulsi sunt. Consociatis tot nationibus, fieri non potuit, quin Graecia magis magisque venustatem vitae excultae sentiret et inprimis certa religionis forma constitueretur.

A primordiis vero tales quum essent Graeci, necessario inde sequebatur, ut propriam multiplicemque eruditionem emetirentur, et in mores licet in singulis rebus dissimiles, in summa tamen similes sese formarent; unde fit, ut in Aegyptia, Indica, Italica et Pelasgica incidamus elementa in mythologia Graecorum, quae hanc ob causam induit formam, ut ita dicam, ἀνθρωπόμορφόν τε καὶ πλαστικήν. Quas duas res tertia sequeretur necesse fuit, ut obscura atque ambigua tantum omnino fere praevalerent. cf. Herodot lib. II. c. 52. et 53. init. Ed. Schweighaeus. „Sacrificia autem omnia olim peragebant Pelasgi deos precantes, ut ego Dodonae mihi adfirmatum cognovi: sed cognomento aut nomine nullum eorum compellabant; necdum enim audiverant. Solum Deos adpellabant, (θεοὺς a verbo θεῖναι ponere) eo quod omnes res ordine posuissent ac distribuissent. Deinde vero, multo interjecto tempore, didicerunt ex Aegypto adlata aliorum deorum nomina, Bacchi vero nomen multo post cognoverunt. Aliquanto post Dodonam miserunt, horum nominum causa oraculum consulentes: est enim antiquissimum Graecis oraculum hoc constitutum, et tunc temporis nullum aliud praeter hoc erat. Consulentibus igitur Dodonae oraculum Pelasgis, an nomina susciperent deorum, a barbaris adlata, datum est responsum: Uterentur illis. Ab hoc igitur tempore in sacris faciendis usi sunt Pelasgi nominibus deorum: a Pelasgis vero postmodum acceperunt ea Hellenes. Unde autem exstiterit unusquisque deorum, an vero semper fuerint omnes, tum qua sint specie, ignorarunt Graeci usque ad nuperrimum diem, ut verbo dicam. Hesiodum enim et Homerum quadringentis annis me antiquiores esse existimo, non amplius. Hi sunt autem, qui deorum generationem Graecis condiderunt etc. Qui vero dicuntur his antiquiores fuisse poëtae, hi post illos, ut equidem puto, exstiterunt.“ Ex his unus est Olenus Lydius, alter Pamphus, poëta Atheniensis, tertius Orpheus, qui secundum Pausaniam posteriores Oleno exstiterunt et fa-

bulas religiosas cecinerunt. Orphea, Threicium vatem, aera marmoris Parii initio decimi quarti saeculi a. Chr. fuisse vult, his usa verbis: Orphea carminibus Proserpinam raptam quaesitamque a Cerere, atque iter suum ad inferos cecinisse. Adde Linum, cujus exstat cosmogonia, ex qua Anaxagoras philosophus multa hausisse dicitur, cujusque initium est: ἦν ποτ ἐν ᾧ ἅμα πάντ ἐπεφύκει. Specta Musaeum ejusque filium Eumolpum, quem milesimo quadringentesimo a. Chr. anno mysteria Eleusinia instituisse patrisque carmina vulgasse aera tradit. Opinionem igitur Herodoti, lib. II. c. 53. „οὗτοι εἰσι ποιήσαντες τοῖς Ἕλλησι Θεογονίαν καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες, pro certo habere non licet, quum ipse dicat: ἔμοιγε δοκεῖν. Praeterea verbum ποιεῖν minime significat aliquid creare, cujus antea neque dimidium neque partes fuerant. Neque ex se ipso Hesiodus tale quidquam fingere potuit. Partes igitur priorum fabularum, quae viva voce tradebantur, adfuisse necesse est, quas in corpus quoddam redegit Hesiodus. Quin etiam ea, quae Homerus et Hesiodus de origine deorum cecinerint, non eorum fuisse figmentum apparet; mentionem enim eorum ut rerum vulgatarum, quibus omnes fidem haberent, facit Hesiodus. Tum Homerus heroas atque heroinas inter se originem sibi explicantes facit, deorum autem originem pro certo habet. Itemque Hesiodum plures fabulas male intellexisse monstrari potest, ut ex vers. 120 etc. Theog. apparet, id quod Hesiodum non fuisse fabularum auctorem declarat. Hesiodus fabulas, quae adfuerant, ut ita dicam cosmotheogonicas ad corpus quoddam redegit, aliis omissis, aliis additis, ita ut eum primum Graecis historiam dedisse dicere possis, subtiliore vocabuli sensu. Sic vis quoque vocis Theogoniae definienda est, ut corpus ad formulam certam redactum intelligamus. Herodotus lib. II. c. 49—50, multa de antiquis fabulis religiosis, quae poëtarum ore traditae sint, quin etiam cap. 23. de poëtis, qui ante Homerum fuerint, loquitur: „Qui de Oceano dixit, is quum rem, de qua quaeritur, in obscurum rejecerit, refutari non meretur. Ego enim fluvium Oceanum nullum novi: Homerum vero, aut alium ex antiquioribus poëtis, puto invenisse nomen, et in poësin introduxisse."

Hesiodus et Homerus primam finiunt periodum, quorum uterque varia ratione, ut ita dicam, anthropomorphismum et ludentem vim imaginandi, quae refertur ad religionem, consummavit; canendo enim forma quadam expressam populi fidem singulari arte reddunt. Perfectus hic, ludens quasi, qui solam imaginandi vim animi occupatam tenebat, anthropomorphismus fiduciam populi nactus apud omnes sacra fuit dignitate.

In mysteriis summa doctrina altioris disciplinae fuit unitas dei, et reliqui dei, qui erant vires naturales, pro personis habiti sunt. Mysteria Eleusinia quadringentis quinquaginta annis ante Homerum instituit Eumolpus; sunt igitur non a philosophis in lucem edita, sed jam antiquitus in Graecia recepta. *)

Accedamus ad fontes, ex quibus Graecorum mythologia manaverit. In duas partes dividuntur: in ea, quae litteris nobis tradita sunt atque in elementa linguae ipsius; tum in opera artis, ut ait Quintilianus, effectivae. Pertinent ad illa Epici, quorum longe princeps est Homerus, qui fabulas tractat per ludum ad illustrandas exornandasque res fortiter gestas, in quibus versatur ejus carmen epicum. Insanabile attulit damnum religioni, et, quia carmina ejus primus fuerant liber, qui pueris legendus datus est, postea eo amplius ejus sententia manavit. Tum Hesiodus, proximus Homero antiquitatis poëta epicus, cujus quum alia carmina tum Theogonia fons est primarius. Deinde poëtae Argonauticorum sive Cyclici, qui etsi multo inferiores Homero, permagni tamen sunt momenti. Nec non annotandum est de posteriore poëta epico, Nono Panopolitano, qui in verbosis Dionysiacis nonnulla de mythologia complectitur. Ex romanorum poëtarum epicorum numero in primis ponendus est Ovidius, non solum poëta, sed etiam eruditissimus antiquitatis indagator. Metamorphoseon ejus liber minoris momenti est, quam libri fastorum de antiquissima Romanae religionis forma. Virgilius et in carmine epico et in Georgicis maximae est utilitatis. Adde Lyricos, in his hymnorum vates, qui homericos confecere hymnos; inprimis hymnus in Cererem, qui constat ex quingentis et amplius versibus, ad intelligenda mysteria Eleusinia ac solennia permultum valet. Respice porro hymnos, qui Orphici appellantur, et Onomacriti cujusdam esse jam antiquis temporibus dicti sunt. Maximi vero momenti est Pindarus quum ob magnam antiquitatem tum ob animi pietatem. Tertio loco ponam tragicos, idque praecipue in choris, quorum princeps est Aeschylus; quarto philosophos, qui, quo magis philosophiae subtilitate eminent, eo cautius consulendi sunt; in his animum advertas ad Platonem. At pluris aestimandus est, qui de rebus philosophicis multo est Platone inferior, Plutarchus in libro de Iside et Osiride. Non minus hauriemus ex Luciano, etiamsi fabulas quasi res ridiculas proponit. Ex

---

*) Vox μυστήριον sine dubio ducitur e verbo μύσσω, latine musso, id est, clauso ore sonos per nares edere, quod tropice tacitum, a profano haud intellectum susurrum, qui nequit audiri, exprimit.

Romanorum numero laudandus est Cicero in secundo de natura deorum libro, quo, quid *Stoici* de mythologia senserint, exponit. Postremo addo historicos, ex quibus permultum confert Herodotus, quia historia ejus est indefessi et neutiquam creduli historici, qui acriter animum ad omnia intendit, ipseque permultas peragravit terras et ex sacerdotibus Aegyptiis explorata comperit. Diodori quoque Siculi mentionem facio ejusque historiae universalis, nec minus Dionysii Halicarnassei ejusque de antiquitatibus librorum. Ne omittamus compilatores, eos dico auctores, qui ex litteris antiquiorum et ex suis sententiis partim de rebus antiquioribus partim de mythologia nos edocent compilationibus. Refero Pausaniam in descriptione Graeciae, quam ipse peragravit, et Apollodorum in bibliotheca sua. Plinius quoque natu major in historia naturali de religione Graecorum et Romanorum, de mythologia et symbolica descriptione deorum antiquitatis gravis auctor est. Adde denique Macrobii Saturnalia et Julium Hyginum et ceteros una cum Hygino collectos mythographos Latinorum. Respiciendi sunt Grammatici quoque et scholiastae, quorum plures sunt etiam uberiores fontes, quam auctores ipsi, quorum scripta interpretando explanabant, ut Servius, Virgilii scholiasta, qui parem Virgilio doctrinam in interpretando exhibet, de mythologia vero ac religione multo majoris momenti est, quam ipse Virgilius. Sic et Hesychii et Suidae lexica multum conferunt ad intelligendum. Ex Romanis Varro permultum valet et Servius, qui quarto saeculo p. Chr. vivebat, quo adhuc tempore omnes antiquissimorum temporum thesauri patebant. Quod ad intelligenda Virgilii carmina confert Servius, idem fere Eustathius ad Homerum, cujus carmina commentario explanavit. Afferre mihi non displicet minora ad Homerum scholia, ad tragicos, Pindarum, Aristophanem, ad Apollonii Rhodii Argonautica, et commentarium Joannis Tzetzis ad Lycophronis tragici Cassandram. Haud pauca contulerunt ad mythologiam christiani adversarii Graecarum fabularum. Patres enim christianae religionis non potuerunt, quin fabulas quasdam ac solennia admitterent, quum idolorum cultum oppugnarent. In his, quos respiciamus, praecipue digni sunt, Eusebius in praeparatione evangelica et Clemens Alexandrinus. Recentior quoque aetas aliquot nobis aperuit fontes, nec contemnenda sunt, quae multi peregrinatores nobis tradiderunt, nec scripta, quibus de Aegyptiorum religione et principibus Asiae Africaeque gentibus edocemur. Alterum fontium caput complectitur opera artis plasticae, ut architectonicen, sculpturam, statuas, lapides scalptos sive incisos, toreumata, numos, urnas et sepulcra, antiquas picturas et opera musiva. Ex his potio-

res sunt, quae in urnis feralibus reperiuntur picturae et vivo saepe cum colore ex sepulcris Campaniae, Graeciae, aliarumque terrarum proferuntur.

Addamus quoque elementa linguae, quae etymologiae ope conquisita adhibenda sunt. Quibus si uti volueris, magna opus erit cautione, ne quis objiciat tibi, rem te non ab omni parte examinasse. Respiciendae sunt inprimis omnes notionis partes, quae inest fabulae, id est, uno in conspectu cultum, originem dei colloces necesse est, ut de Aegyptia Iside, si eam ut magnum naturae numen proponas, omissis variis notionibus secundariis. Ut vero additamentum et primigeniam fabulam secernas, quam supra dixi rationem, qua formatae sint fabulae, semper tibi proponas necesse est. Est quasi filum Ariadnes haec ratio, qua duce tutissime ex difficultatibus fabularum te expedire possis; tum in explicandis fabulis originem quaeras, gravibusque ex causis agas, quae partim externae partim internae sunt. Illae sunt fontes ipsi. Distinguuntur et tempore et fine in tres ordines, quorum primus constat ex fontibus, qui spectant ad severiorem religionis cultum, alter ex fontibus, qui manarunt ex licentia poëtica; tertius, quibus praeceptum philosophicum posterioris cujusdam interpretis continetur. De causis, quae internae appellantur, quaestio tibi est dissolvenda, quid in fabula ad primam religionis formam proxime accedat, tum, quid ex comparatis variis fabulis existat commune.

Sed de mythologia quum ad summam satis dixisse mihi videar, accedamus ad Apollinem.



DE APOLLINE.

Quum in omni mythologia sapientiam priscorum hominum eorumque de natura rerum et de animi humani viribus et fatis sub involucro fabularum ingeniose inventarum occultam reperiamus, tum in singulis propter arctissimum, quod inter omnes fabulas obtinet, vinculum cuncta fere, quae in ceteris quoque latent, proprie expressa cernere licet, ita ut transitus ad omnes alias notiones non difficilis pateat. Ad quam rem confirmandam Apollinis fabulam potissimum accuratius pertractandam sumsimus. Quae fabula vero quum late pateat et plura complectatur, quam quae breviter enucleari possint, pauca tantum de ortu, muneribus festisque hujus dei diebus delibabimus, e fontibus hausta probatissimis.

Certamine, quod cum Titanis consertum erat, composito, nactum esse Deorum imperium Jovem, iisque distribuisse honores, qua re regnum Olympiorum conditum sit, Graeca fabula refert. Constituto hoc novo regno omnes reliqui Graecorum dei plus minusve ex Jove pendent vel aliqua iis cum Jove intercedit conjunctio. Ad illud exprimendum progeniei, ad hoc vero adumbrandum conjugii adhibuit notionem. Theogonia Hesiodi, septem connubia inisse Jovem, atque Apollinem una cum Diana sorore ab Jove ex Latona genitum esse, memoriae prodit. *)

In Theogonia, ex Apollinis muneribus unum tantummodo idque sagittarii reperimus, idemque apud Homerum est Apollo ἐκηβόλος, ἑκάεργος, ̓αργυρότοξος, ἕκατος, ἑκατηβελέτης, πύθιος, πυθοκτόνος, τοξίας, τοξοφόρος, χρυσάωρ, ἀφήτωρ. Tela tum iratus, tum mitis emittit, quippe qui iis missis modo leniter senectutem auferat vitae pertaesam **), modo iratus pestem mittat vel necet, ut Niobes filios. — Cotta apud Ciceronem de natura deorum Apollines quatuor celebrat, quorum antiquissimus is, qui ex Vulcano natus Athenarum custos dictus est, alter Corybantis filius natus in Creta, cujus de illa insula cum Jove ipso certamen fuisse dicitur, tertius Jove tertio natus et

*) Hesiod. Theog. v. 918 Ed. Goettling.

Λητὼ δ᾽ Ἀπόλλωνα καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
ἱμερόεντα γόνον περὶ πάντων Οὐρανιώνων,
γείνατ᾽ ἄρ᾽ αἰγιόχοιο Διὸς φιλότητι μιγεῖσα.

**) cf. Homeri Odyss. III. v. 279.

ἔνθα κυβερνήτην Μενελάου Φοῖβος ̓Απόλλων
οἷς ̓αγανοῖς βελέεσσιν ̓εποιχόμενος κατέπεφνεν.

Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ajunt advenisse; quartus in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant, quod ab eo se leges ferunt accepisse. Apud Homerum cognoscitur Apollo deus artis sagittariae, deus citharae et cantus, vaticinationis, artis medicae, gregum custos urbiumque conditor. — De Apolline sagittario praeter Homerum nihil fere indagari potest, qui Jovem in certamine, quod prius initum est cum Titanis, tum cum Gigantibus, ab Apolline adjutum, Ephialtemque sinistro oculo sagitta emissa spoliatum esse canit. Tityum Euboicum Gigantem occidit Apollo, quia, quum Delphos venisset, Dianae sorori vim adferre ille ausus esset. *) Itemque interfecit Cyclopas, propterea quod Jovi fulmina, quibus hic Aesculapium vita privavit, fabricaverant. **) Apud Diodorum, Apollinem, inventorem arcus, Cretenses artem sagittandi edocuisse, hosque tum inprimis huic arti operam navasse, arcumque Creticum vocitasse, aperte legimus.

Apollinem, deum citharae et cantus, in Olympiis epulis stipatum a Musis Homerus ita omnino proponit, ut *ἀοιδοὶ* ad epulas et ad circulum maximamque celebritatem illius aetatis, quam vocant heroicam, venerunt; namque magnificentiam apparatumque horum principum ad imitandum sibi sumserat Homerus in splendore Olympiorum fingendo. ***) Peculiare ejus instrumentum musicum dicitur apud Homerum et Hesiodum

---

*) cf. Odyss. XI. v. 575.

**) cf. Odyss. III. v. 279.

***) Haud displicet mihi, quod Rambachius hac de re dicit: Man darf nur einen Augenblick im alten Griechenland selbst verweilen, um keine von allen Dichtungen, die den Apollo betreffen, misszuverstehen Einer Nation, wie die griechische, die eine so glückliche Laune hatte, und unter einem so heiteren Himmelsstriche so vielen Beruf zum Frohsinn fand, war nichts unentbehrlicher, als Gesang, und die durch ihn entspringende Freude, welche schon während des Gesanges in einen lebhaften, von darstellenden Geberden begleiteten Tanz ausbrach. Eine Ergötzlichkeit ohne Musik, Gesang und Tanz war dem Griechen nicht denkbar. Daher schloss er sie fest an sein Leben an, und die Musen dieser verschwisterten Künste leiteten ihn auf die höchste Stufe der Cultur. Das Leben der ältesten Sänger Griechenlands erläutert die Dichtungen vom Apollo am besten. Die Thaten der Götter, die nicht unter den Menschen lebten, und erhabener Menschen, die man Heroen nannte, gaben den vorzüglichsten Stoff der Lieder, welche der Dichter überall, wo sein Gesang ein aufmerksames Ohr fand, vortrug. Viele von ihnen lebten frei, umherwandelnd mit ihrer Kunst, die ihnen überall eine willkommene Aufnahme verschaffte; Andere aber gehörten zum Hofstaate der

φόρμιγξ, κίθαρις, κιθάρα, et quaeritur, num ejus inventor sit. Omnino id affirmant Bion et Callimachus; aliis vero auctoribus Mercurius illam invenisse et Apollini dedisse dicitur. *) Pausania auctore lyrae inventum Mercurio, citharae Apollini, Graecorum sermo attribuit. **) Sunt, qui censeant, citharam antiquum instrumentum τρίχορδον, lyram posterius ἑπτάχορδον esse, quod a lyricis musicae scholis in Thessalia initium cepit. Alcaeus Apollini inventum tibiae simplicis attribuit, a qua fama discrepant aliae. In fabula enim, quae est de Marsya, cui Apollo in certamine tibiae et lyrae victor in poenam cutem detraxit (unde Apollo Tortor), tibiam instrumento Apollinis opponi apparet. Alterum de lyra et cerata arundine certamen iniit Apollo cum Pane. Tmolus Apollini palmam decreverat, Midaeque, quum repudiasset judicium, ab Apolline aures asininae affixae sunt. ***) — Vaticinationi porro praeest Apollo. Nullus ex Graecae fabulae diis omnia providet atque animadvertit, ne Jupiter quidem, nisi Dodonae, ubi ei oraculi sedes est. Solae locorum causae vaticinationis facultatem iis impertiunt. Ita Apollo quoque in oraculi sui tantum sedibus, inprimis Delphis, illa utitur facultate, ubi oraculum non condidit, sed quod antea ibi jam fuerat, eo potitus est. Quod quis antea habuerit et quomodo nactus sit, variae exstant sententiae. Pindaro auctore Terrae oraculo Delphis potitus est Apollo; secundum eam, quamsequitur Hyginus, sententiam Python draco, Terrae filius, oraculum obtinuit, qui contra aliis auctoribus †) custos modo ejus fuerat. Secundum Pindari scholiastam, quocum alii in eandem discedunt sententiam, Nox prius tenuit illud, deinde Themis. Musaeus Terram Themidi de illo quasi dono decessisse ait. Utcunque sese res habet, terrae oraculum ibi poti-

---

Fürsten. Was diese Barden bei den Fürsten der Erde waren, das ist Apollo im Olymp am Hofe des allgebietenden Zeus. (Rambachs Mytholog. f. Künstl. Bd. I. S. 353. etc.

*) cf. Homeri hymn. in Mercur. v. 490.

λιγύφωνον ἑταίρην
καί τοι 'εγὼ δώσω ταύτην, Διὸς ἀγλαὲ κοῦρε.

**) cf. Pausan. lib. V. c. 14. μετὰ δὲ τοῦτον 'Απόλλωνος καὶ 'Ερμοῦ βωμός 'εστιν ἐν κοινῷ, διότι 'Ερμῆν λύρας, 'Απόλλωνα δὲ εὑρετὴν εἶναι κιθάρας, 'Ελλήνων ἐστὶν ἐς αὐτοὺς λόγος.

***) Cognomina Apollinis, musicae antistitis, sunt: κιθαρῳδός, λυροεργός, λυροκτύπος, εὐφόρμιγξ, εὐλύρας, Μουσαγέτης.

†) cf. Aelian. A. H. 3. 1.

tum esse Apollinem, id quod draco sub imagine significat, dubium non est. Vapores divino spiritu replentes atque concitantes ex subterraneo antro eruperunt, cujus super foramen tripodem collocavit Apollo, in quo sedens Pythia vates, illis vaporibus divino numine inflammata, edidit oraculum. Possessione hujus loci, si rem vere aestimemus, vaticinationis gloriam consecutus est Apollo. Quum vero Jovis filius exhiberetur, patris modo consilium aperuit et hac in re tantum interpres patriae voluntatis fuit, quam ob causam legimus apud Aeschylum in Eumenidibus v. 4. *Διὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας πατρός*, id est, Loxias Apollo flexuosus patris est interpres. Sunt igitur, qui vaticinandi facultatem a patre eum didicisse vel donum accepisse censeant; aliis vero auctoribus *) a Pane, Jovis nymphaeque Thymbridis filio, eam doctus est. Apollinis gloria hac in re tanta fuit, ut Pindarus praedicet eum, ad quem mendacium accedere nefas sit, qui omnium rerum vias exitusque noverit, neque ignoret, quot folia ver proferat, quem ne minima quidem lateant, quique provideat futurum. **)

Haud alienum sit a re proposita, de oraculo Delphico copiosius dicere. Diodorus Siculus in libro de vita Philippi, regis Macedonum: „fama est, inquit, oraculum Delphicum a capris inventum fuisse, hincque Delphos, cum illud consulunt, caprarum sacrificia offerre. Nam, cum eo in loco, ubi nunc templi ostium est, terrae hiatus pateret, quando circum pascentes caprae in illam forte intuebantur, insuetam vocem statim emittere, gestibusque et saltibus ita exsultare coeperunt, ut pastores admiratione afficerentur. Unde unus aliquando e pastoribus, curiositate motus, ad cavum accedere, et intus inspicere ausus est: cum illico eadem perturbatio, quae capris obvenerat, illum

---

*) cf. Apollod. 1. 4. 1. *τὴν μαντικὴν μαθὼν παρὰ τοῦ Πανὸς Διὸς καὶ Θύμβρεως ἧκεν ἐς Δελφοὺς χρησμοδούσης τότε Θέμιδος· ὡς δὲ ὁ φρουρῶν τὸ μαντεῖον Πύθων ὄφις 'εκώλυεν αὐτὸν παρελθεῖν ἐς τὸ χάσμα, τοῦτον ἀνελὼν τὸ μαντεῖον παραλαμβάνει.*

**) 1. cf. Pindari Pyth. III. Dissenii ed. *οὐδ' ἔλαθε σκοπόν· ἐν δ' ἄρα μηλοδόκῳ Πυθῶνι τόσσαις ἄϊεν ναοῦ βασιλεὺς Λοξίας κοινᾶνι παρ' εὐθυτάτῳ, γνώμᾳ πιθὼν, πάντα ἴσαντι νόῳ· ψευδέων δ' οὐχ ἅπτεται· κλέπτει τέ νιν οὐ θεὸς, οὐ βροτὸς, ἔργοις οὔτε βουλαῖς.*

2. Apollinis vaticinationis dei cognomina sunt:

'Αλεκτρόμαντις, 'Αλευρόμαντις, Εὔορκος, Λοξίας, Μάντις, Μοιραγέτης, Πυθικός.

corripuit, et divino furore vexatus, futura praedicere coepit. Hujus rei fama, per regionem vulgata, plures illuc ad haec mirabilia perspicienda traxit; et omnibus, experiendi gratia ad antrum accedentibus, idem, quod primo, evenit. Quare una omnium mente judicatum est, terrestre oraculum ibi reperiri, et aliquamdiu hic mos servatus fuit, ut, qui oraculum consulturi adierant, ad hiatum ipsimet se prosternerent, et alter alteri mutuo responsa daret. Verum, cum saepe divini illius furoris agitatione aliquem interire contingeret: statutum fuit, feminam eligi, quae ab oraculo praedictiones acciperet, et cunctis responderet: cui, ut tutus ad hiatum esset accessus, machinam super ipsum, tribus pedibus fultam, aedificarunt, quae tripus nuncupatur."—Herodotus: non unam, ait, feminam tantum, quia non suffecisset, sed plures huic oraculo simul inservivisse. Scribit enim in Erato: Perialam, vaticinantium mulierum antistitem apud Delphos, a Cleomene donis corruptam; unde vaticinantes mulieres Delphis non unam, sed plures fuisse apparet. Delphicum oraculum, quia prae aliis veridicum fuit, omnium celeberrimum habitum.*) Delphi sunt in medio siti totius Graeciae, quae et extra Isthmum et intra est. Quin etiam in medio orbe terrarum positos quidam senserunt, terraeque umbilicum dixerunt, quod a Jove duae aquilae emissae, altera ab ortu, ab occasu altera, in eum locum convenerint. Quidam ab Icadio, filio Apollinis, templum Delphicum conditum, et a delphino, quo vectus erat, appellatum volunt. Alii ajunt, in templo Apollinis aram fuisse inscriptam *Πατρίου Ἀπόλλωνος* ob id, quod Icadius, Apollinis et Nymphae Lyciae filius, cum in adultam aetatem venisset, primo regionem, in qua natus erat, a matre Lyciam nominavit, deinde in ea urbem quoque Apollini condidit, sortes et cortinam consecravit, et, ut illum patrem esse testaretur, *Πάτορα* cognominavit. Inde cum Italiam peteret, naufragio vexatus, delphini tergo exceptus dicitur, ac prope Parnassum montem delatus patri Apollini templum constituisse, et a delphino locum Delphos appellasse, aras deinde Apollini tanquam patri consecrasse, quas ferunt vulgo Patrias dictas. Hinc ergo et delphinum ajunt inter sacra Apollinis receptum, cujus rei vestigium est, quod quotidie Quindecimvirorum cortinis delphinus in summo honore ponitur et pridie quam sacrificium faciant, velut symbolum delphinus circumfertur.

Jam videamus, cur Apollo Loxias sit dictus. Cicero lib. II. de divinat. Cap. XLVI.: „Sed

---

*) cf. Strabo. *ἡ μὲν οὖν ἐπὶ τὸ πλεῖστον τιμὴ τῷ ἱερῷ τούτῳ διὰ τὸ χρηστήριον συνέβη, δόξαντι ἀψευδεστάτῳ τῶν πάντων ὑπάρξαι.*

jam ad te venio, o sancte Apollo, qui umbilicum terrarum centrum obsides, unde superstitiosa primum saeva evasit vox fera. Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime; partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa referenda sit ad sortes, partim ambiguis, et quae ad dialecticam referenda sint. Nam cum sors illa edita est opulentissimo regi Asiae: „Croesus Halym penetrans magnam subvertet opum vim“: hostium vim sese perversurum putavit, pervertit autem suam.“ Ab illis ambagibus Loxias dictus est Apollo, quod contorta et flexuosa responderet. Pausanias in Arcadicis prodit, Apollinem respondisse Epaminondae, ut caveret pelagus. Abstinuit navigatione, et fugit mare; mortem non fugit, quam nactus est in querceto, cui nomen erat Pelago. Alii vero Loxiam Apollinem dictum esse volunt, ἐπειδὴ καθ᾽ ἕλικας κινεῖται· λοξαὶ γάρ εἰσι καὶ αὗται, id est, quia sol per flexus movetur, qui sunt et ipsi obliqui; vel auctore Oenopide mathematico, ὅτι ἐκπορεύεται τὸν λόξον κύκλον ἀπὸ δυσμῶν εἰς ἀνατολάς; vel ut ait Phurnutus, παρὰ τὸ λόξως ἱέσθαι καὶ πορεύεσθαι ἐν ζωδιακῷ κύκλῳ, ἢ παρὰ τὸ λοξίαν ἴαν καὶ φωνὴν πέμπειν, quia mittit vocem obliquam, unde λοξόχρησμος dicitur; vel interprete Cleanthe, ὅτι τὰς λοξὰς ἀκτῖνας ἵησιν ἐφ᾽ ἡμᾶς βορείους ὄντας νότιος ὤν, latine, quod transversos in nos a meridie immittat radios, quia sumus ad eum septentrionales.

Quartum Apollinis munus est, quod praeest arti medicae, cujus rei primum vestigium exstat apud Pindarum *), a quo etiam Aesculapius primum Apollinis et Coronidis filius appellatur. **) Aeschylus nominat Apollinem ἰατρομάντιν ***); Sophocles †) atque Aristophanes morbos eum removere dicunt, et Euripides ††) ait, ab illo

---

*) cf. Pyth. IV. v. 480.
ἐσσὶ δ᾽ ἰατὴρ ἐπικαιρότατος, παιάν τέ σοι τιμᾷ φάος. Χρὴ μαλακὰν χέρα προσβάλλοντα τρώμαν ἕλκεος ἀμφιπολεῖν.

**) cf. Pyth. 3. init.

***) cf. Eumenid. 62.

†) cf. Oedip. Tyr. v. 149.
Φοῖβος δ᾽ ὁ πέμψας τάσδε μαντείας, ἅμα
σωτὴρ θ᾽ ἵκοιτο, καὶ νόσου παυστήριος.

††) cf. Andromache v. 900.
ὦ Φοῖβε ἀκέστωρ, πημάτων δοίης λύσιν.

Aesculapium percepisse artem medicam. Peloponnesii quum pestilentia laborarent, ad Delphicum oraculum confugerunt Athenienses et Apollini Alexicaco (quasi Averruncum dixeris) vota fecerunt *), et sedata pestilentia huic cognominem statuam posuerunt, opus Calamis, quod Apollinis Patroi templum ornabat. **) Paulo post Bassis in Phigaliae vico, quod pestilentia laborantibus incolis opem tulerit, cognomen Epicurii, id est, Auxiliaris, Apollini tributum est, cujus rei in memoriam aedes, lapideo lacunari, exstructa est. ***) Quum porro anno 514 a. Chr. pestilentia devastaretur Roma, Brutus ad Delphicum oraculum missus et anno 461 a. Chr. Apollini Medico templum aedificatum est. †)

Gregibus porro praeest Apollo. Apud Homerum non praeses quidem armentorum, sed pastor duntaxat, *Νόμιος*, exstat, idque apud Admetum. De causa tantum, cur servi munere apud illum functus sit, dissentiunt inter se posteriores; alii metu Jovis, alii poena a Jove expetita commotum, alii sua sponte, alii amore erga Admetum ductum hoc fecisse ajunt Apollinem. Sub Ida monte Laomedontis boves in poenam pavisse Apollinem, jam Homerus memoriae prodidit. In Homeri hymno in Mercurium dicit Apollo, puerum se sub Parnasso boves pavisse, ibique a Parcis illas vaticinationis artes, quas contemneret Jupiter, doctum esse. ††) Canit Alcaeus in hymno, quem fecit in

---

*) cf. Thucyd. 2. 47.

**) cf. Pausan. 1. 3.

***) cf. Pausan. VIII. c. 41.

†) 1. cf. Livius. IV. 25. Pestilentia eo anno aliarum rerum otium praebuit. Aedes Apollini pro valetudine populi vota est.

2. Apollinis Medici cognomina sunt apud Graecos: *Ἀλεξίκακος. Ἀκέσιος. Ἀκέστωρ. Ἀποτρόπαιος. Ἐπικούριος. Ἰατρός. Οὔλιος. Παιών. Σωτήρ.* Apud Romanos: Medicus. Opifer. Salutaris. Salutifer. Sanctus.

††) cf. Hom. hymn. in Merc. v. 554.

κατὰ δὲ κρατὸς πεπαλαγμέναι ἄλφιτα λευκά
οἰκία ναιετάουσιν ὑπὸ πτυχὶ Παρνησοῖο
μαντείης ἀπάνευθε διδάσκαλοι, ἣν ἐπὶ βουσὶν
παῖς ἔτ' ἐὼν μελέτησα· πατὴρ δ' ἐμὸς οὐκ ἀλέγυνεν.

Mercurium, delectatum esse inprimis armentis Apollinem. *) Maxime exornavit luminibus fabulam Callimachus, qui vere praesidem armentorum proponit Apollinem. **)

Adde Apollinem, urbium conditorem. Causa est duplex, cur ad Apollinem potissimum hoc munus deferatur, sive Musarum artibus ampliorem vim Graecorum subjectam, sive illud munus ei tanquam oraculi deo proprium esse censes. Antiquissima vestigia exstant apud Homerum, qui Apollinem mercede conductum Trojae moenibus exstruendis interfuisse canit. *) Locum huic opinioni dedisse fabulam, quae Apollinem Alcathoo muros facienti, operam navasse superque lapide citharam deposuisse dicit, qui, si quis calculo eum percusserit, eundem, quem pulsae fides, sonum reddat, verisimile est. †) Altera causa hujus muneris profecta esse potest, quod Apollo oraculis editis urbibus locum et coloniis sedem assignavit, unde cognomina** *Δωματίτης* **et** *Οἰκέτης*, *'Αρχαγέτας* **sive** *'Αρχηγέτης* **ei indita sunt.**

Jam pervenimus ad septimum munus, quo fabula antiqua exornat Apollinem, solis dico. Quod quum munus latissime pateat, et in hac ratione tam diversae virtutes ei adtribuantur, verbosius rem exponere et, quantum ego potero, demonstrare conabor, quo modo haec ad solis notionem referantur. — Apud Homerum atque Hesiodum in fabulis, quae feruntur de diis, *'Ηλίῳ* **praeter Apollinem locus est, et Solem mansisse, apparet. ††) Neque apud Pindarum ullum, hos duos in unam notionem confu-**

---

*) cf. Pausan. 7. 20. *βουσὶ γὰρ χαίρειν μάλιστα 'Απόλλωνα 'Αλκαῖός τε ἐδήλωσεν ἐν ὕμνῳ τῷ ἐς 'Ερμῆν γράψας.*

**) Apollo Pastor cognominatur: *'Αμφρύσιος. 'Ιπποβουκόλος. Λυκοκτόνος. Νόμιος. Νομεύς.*

***) cf. Il. VII. v. 452.

τοῦ δ' ἐπιλήσονται, ὅτ' ἐγὼ καὶ Φοῖβος 'Απόλλων
ἥρῳ Λαομέδοντι πολίσσαμεν ἀθλήσαντε.

†) cf. Pausan. 1. 42. *τῆς δὲ ἑστίας ἐγγὺς ταύτης ἐστὶ λίθος, ἐφ' ου καταθεῖναι λέγουσιν 'Απόλλωνα τὴν κιθάραν, 'Αλκάθῳ τὸ τεῖχος συνεργαζόμενον — τότε δὲ αὐτῷ τειχίζοντι, ὥς φασιν οἱ Μεγαρεῖς, συνεργάζεταί τε 'Απόλλων, καὶ τὴν κιθάραν κατέθηκεν ἐπὶ τὸν λίθον· ἢν δὲ τύχῃ βαλών τις ψηφῖδι, κατὰ ταὐτὰ οὗτός τε ἤχησε καὶ κιθάρα κρουσθεῖσα.*

††) **Causam addit Hermannus: weil Apollo und Artemis ursprünglich nicht Sonne und Mond über-**

sos esse, vestigium exstat, apud Aeschylum Ἡλίου salutares radii et clarus Apollo conjunctim ponuntur. *) Callimachus esse dicit, qui Apollinem ab Sole cuncta luce sua illustrante et Deionen ab Artemide disjungant. Utcunque haec cohaerent, inde saltem sequitur, hos duos circa tempus Alexandrinorum fuisse jam confusos. Nec minus ea aetate Orphei hymnus in Apollinem percrebuit, in quo Apollo Μεμφίτης appellatur et in hac ratione hae notiones reperiuntur (cf. Callimachi hymn. in Apollinem v. 32 etc.) ex versione Jo. Aug. Ernestii. „Aurea Apollini et chlamys, et fibula, et lyra, et arcus Lyctius, et pharetra, aurei etiam calcei. Abundat enim auro Phoebus, estque maxime dives: e Pythone utique colligas. Atque etiam semper formosus est, semper juvenis; nunquam Phoebi teneras lanuginis quidquam vestivit genas. Comae autem odoratum in terram fundunt oleum. Non oleum Apollinis destillant comae, sed panaceam ipsam. In qua autem urbe illae guttae humi ceciderint, ibi omnia salva fiebant. Arte etiam nemo abundat ut Apollo. Ille sagittarium sortitus est virum, ille poëtam; Phoebo enim et arcus datus est et carmen. Illius etiam sortes sunt et vates. A Phoebo etiam didicere medici prolationem mortis. Phoebum etiam pastorem vocamus ex eo tempore, quo ad Amphrysum jugales pavit equos, pueri Admeti ardens amore. Facile utique pascua sint plena bubus, neque caprae inerrantes lanigeris careant subole, quas Apollo pascentes respexerit; neque sine lacte oves aut steriles fuerint, sed omnes prolem habeant, et unipara repente fiat gemellipara. Phoebum etiam secuti urbes condunt homines. Phoebus enim semper urbibus gaudet condendis, et ipse fundamenta Phoebus texit." De aliis, qui posteriores fuerunt aetate, refert Strabo lib. XIV. 655, notum esse, Apollinem et Dianam deos sanando prospicientes esse, ideoque eosdem haberi, ac Solem et Lunam, quia ex his sideribus coelum salubre et pestiferum pendeat; Apollinem vero auctorem pestilentiae omniumque subitarum atque inopinatarum mortium vocitari. cf. Plutarch. de Pyth. orac. c. 12., de defect. orac. c. 7.; aliis contra locis sine dubitatione scribit, Apollinem vulgo ab omnibus Graecis eundem ac Solem haberi eamque esse rem vulgatam. cf. Plutarch. de Ei apud Delph. c. 4. ἡλίῳ Ἀπόλλωνα τὸν αὐτὸν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πάντας Ἕλληνας νομίζειν. cf. Pausan. 7. 23. Ἀπόλλωνα δὲ ἥλιον καὶ αὐτὸν ὀρθότατα Ἀσκληπιῷ πατέρα ἐπονομάζεσθαι,

---

haupt, sondern nur einen gewissen bestimmten Sonnenstand symbolisirten, Apollo die Sonne in der Frühlingsgleiche, vielleicht auch in der Herbstgleiche.

*) cf. Aeschyl. Eumen. v. 198.

ὅτι ἐς τὸ ἁρμόζον ταῖς ὥραις ποιούμενος ὁ ἥλιος τὸν δρόμον μεταδίδωσι τῷ ἀέρι ὑγιείας. Alcaeus Apollinem quasi pro deo aestivo habuit, qualem hymnus ejus in Apollinem, quem Himerios nobis prodidit, describit. *)

Sed omittamus haec, et unde ducatur nomen Apollinis, videamus. Ex multis interpretationibus apud Phurnutum ducitur Apollinis nomen e verbo ἀπολλύναι, quia sol terrae humorem eripiat. Hermannus quoque in dis- dissertatione de Apolline et Diana magna cum subtilitate suoque ingenii acumine Apollinis nomen e verbo ἀπολλύναι ducit. Cicero hac de re dicit: Jam Apollinis nomen est graecum, quem solem esse volunt; cum sol dictus sit vel quia solus—ἀ-πολύς—ex omnibus sideribus est tantus, vel quia, cum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet. In Platonis Cratylo Apollinis nomen ducitur e vocabulo πόλησις idque refertur, partim quia circa coelum, qui poli dicuntur, commeet, partim quia concinat cantui, quod harmoniam vocent, quemadmodum ii quoque, qui ad musicam et astrologiam incumbunt, haec omnia certa quadam harmonia fieri contendant. Macrobius dicit: et Latinitas eum, qui tantam claritatem solus obtinuit, solem vocavit; Cleanthes ducit ἀπ' ἄλλων, quia sol aliis aliisque locis oriatur; alii a verbo ἀναπολεῖν, quia sol orbem (πόλον) terrarum idque singulis diebus ambeat cursu. —

Kanne in mythologia Graecorum dicit, Apollinis munera invicem conjuncta esse, ita ut aliud ab alio proficiscatur. Primo fuit sol, tum pastor, musicae praeses, deinde vates et medicus, et ut medicus sagittarius factus est. Solem magnam habere vim ad fertilitatem et pascua, constat. Apollo fit deus, qui praesidio est gregibus, et qui regum antiquorum ipse pavit armenta. Ita initio tantum nomadum gentium deus fuerat. Cantor et poëta exstitit in Pieria et juxta Peneum pastor, sicut Pan et Mercurius in Arcadia tibicines. Vatis cognomen ei a sumta oraculi sede inditum, nec minus verisimile est, evasisse eum vatem a cognatione, qua vatum inflammatio divinitus immissam poëtarum impetum attingat. Medicum Apollinem

---

*) cf. Voss mythol. epist. II. T. XI. ep. Als Apollo geboren war, schickte ihn Zeus nach Delphi; von da erhob er sich zu den Hyperboreern. Ein volles Jahr war umgelaufen, bis der Zeitpunct zurückkam, dass er von den Hyperboreern wieder zu Delphi eintraf. Es war Sommer, und gerade des Sommers Mitte, da von den Hyperboreern Alkäus den Apollo führt. Im erglänzenden Sommer, als Apollo einherzog, lispelt die Leyer Sommergetön um den Gott. Es singen ihm die Nachtigallen einen Vogelgesang; es singen auch Schwalben und Cikaden, nicht ihr eigenes Schicksal unter den Menschen erzählend, sondern lauter Melodieen von dem Gotte tönend. —

a vaticinando dictum esse volunt; vaticinari est enim non solum futura praedicere, sed etiam consilium dare, et veteres medicos ab oraculis remediorum usum accepisse constat. *) Python serpens ipse symbolum oraculi fuerat, idque symbolum prudentiae (a verbo *πυθέσθαι*, unde *Πυθιάς*). Sagittarius evasit, quia medicus erat; deorum enim quisque in eo, quod cujusvis est, munere bonum et malum impertit. Apollo igitur sanitatem et morbum tribuit, subitaque morte eripit vitam. Quum pestilentiam subitosque morbos telis missis immittat, sagittarius factus est, quia deus arti medicae praefuit.

Quae quum ita fere definiri soleant, id ipsum, quod sumsimus, Apollinem primitus, si sol ipse non fuerit, pertinuisse saltem ad solem, rationibus confirmandum est. Antiquas igitur ore propagatas fabulas, quae feruntur, et quae de antiquis artis operibus tradita sunt, colligamus necesse est. Ad antiquas autem fabulas pertinent, quaecunque apud Aegyptios Apollinis originem inveniri volunt. Herodotus lib. II. c. 144 his verbis dicit: *ὕστατον δὲ Αἰγύπτου βασιλεῦσαι Ὧρον, τὸν Ὀσίριος παῖδα, τὸν Ἀπόλλωνα Ἕλληνες ὀνομάζουσι· τοῦτον καταπαύσαι Τυφῶνα βασιλεῦσαι ὕστατον Αἰγύπτου. Ὄσιρις δέ ἐστι Διόνυσος κατ' Ἑλλάδα γλῶσσαν.* Oraculum Aegyptium collocat Herodotus lib. II. c. 155 in templo Latonae, quod est in urbe Buto ad ostium Nili Sebennyticum, *ἱρὸν δέ ἐστι ἐν τῇ Βουτοῖ ταύτῃ Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος.* Praeterea admiratur Herodotus lib. II. c. 156 insulam, quae Chemmis vocatur et ab Aegyptiis fertur innare, in qua templum Apollinis magnum arasque triplices exstructas, palmasque frequentes enatas refert. Cur autem ea natans sit, hanc Aegyptii rationem ci-

---

*) Heyne in opusculis academicis dicit: Ceterum in Apollinem successu temporis artis quoque medicae inventum et honos fuit collatus: cujus opinionis causam et originem non nisi conjectando assequimur. Notum est primo tempore medicinam inter homines fuisse vix ullam, praeterquam vulnerum, quibus herbas, herbarumque succos vel radices tritas inspergebant; morborum autem cohors partim in illa vitae simplicitate terris nondum incubuerat, acuti vero morbi a deorum, Phoebi maxime et Dianae, ira repetebantur. Ad solis, aestu suo aërisque intemperie corpora tentantis, vim in eo allusum esse, non fit improbabile. Cum tamen semel morborum causas ad deos referre coepisset vetus Graecia, mos inde invaluit, ut de morborum auxiliis consulerentur fere vates, deorumque oracula adirentur. Vates autem inter priscos homines, apud quos omnia, quae quis diceret, moneret, suaderet, etiam quae narraret, carmine, adeoque inflammato animi spiritu, magnoque ore proferebantur, pariter omnis doctrinae et sapientiae auctores, et futurarum rerum providi, religionum ac rituum consulti, ideoque remediorum, quibus morbis medela fit, intelligentes peritique habiti sunt.

tant: ἐν τῇ νήσῳ ταύτῃ οὐκ ἐούσῃ πρότερον πλωτῇ Λητὼ ἐοῦσα τῶν ὀκτὼ θεῶν τῶν πρώτων γενομένων, οἰκέουσα δὲ ἐν Βουτοῖ πόλι, ἵνα δή οἱ τὸ χρηστήριον τοῦτό ἐστι, Ἀπόλλωνα παρ' Ἴσιος παρακαταθήκην δεξαμένη διέσωσε κατακρύψασα ἐν τῇ νῦν πλωτῇ λεγομένῃ νήσῳ, ὅτε δὴ τὸ πᾶν διζήμενος ὁ Τυφὼν ἐπῆλθε, θέλων ἐξευρεῖν τοῦ Ὀσίριος τὸν παῖδα. Ἀπόλλωνα δὲ καὶ Ἄρτεμιν Διονύσου καὶ Ἴσιος λέγουσι εἶναι παῖδας, Λητοῦν δὲ τροφὸν αὐτοῖσι καὶ σώτειραν γενέσθαι. Αἰγυπτιστὶ δὲ Ἀπόλλων μὲν Ὧρος, Δημήτηρ δὲ Ἶσις, Ἄρτεμις δὲ Βούβαστις. Diodorus lib. I. c. 25., qui etiam Orum ultimum deorum regem appellat, eumque Apollinem esse vult, addit, eum ab Iside matre vaticinandi medendique artem doctum et filium oraculis atque curationibus optime meritum esse. Non est silentio praetereundus alter locus lib. I. c. 88, qui dicit: quum antiquis temporibus Isis et Orus adversus Typhonem in certamen descensuri essent, Osiridem in lupi speciem mutatum ex Inferis subsidio iis advolasse, et quum inferior e certamine discessisset Typhon, a victoribus, ut pro lupo coleretur, institutum esse. Plutarchus quoque in libro de Isid. et Osir. pluribus locis atque Aelianus, Apollinem eundem esse atque Orum, dicunt; quin etiam Aeliano, qui apud Aegyptios accipitrem Apollini sacrum esse dicit ob intrepidum solis adspectum caedemque serpentium, apud Homerum vestigia indagari posse videntur. cf. Ili. 15. v. 237.

Ἀπόλλων
βῆ δὲ κατ' Ἰδαίων ὀρέων, ἴρηκι ἐοικὼς
ὠκέϊ, φασσοφόνῳ, ὅστ' ὤκιστος πετεηνῶν.

Eo minus esse arbitror, quod dubitemus, quin Apollinis origo apud Aegyptios inveniatur, quum in Homeri hymno in Delium Apollinem evidentissima similitudo eluceat fabulae, quae fertur de insula Delo, cum fabula de Chemmide, quumque hymnus in Pythium Apollinem non solum Typhonis faciat mentionem, sed etiam omnem dei cultum Delphis a Cretensibus quibusdam institutum Delphicosque paeanas more Cretensium cecinisse velit. Ideo Orphico carmini fidem habere debemus, quod Μεμφίτην eum vocitat; nec dubium est, quin Orus sit Apollo. Restat tantummodo, ut Apollinis in Laconicae oppido Amyclis mentio fiat. Dei statua sine ulla dubitatione in antiquissimis habenda est, quae immensae magnitudinis in sepulcro Hyacinthi collocata fuisse fertur, quem carissimum fuisse Apollini fabula vulgat. Quodsi Apollo cum eo discum jactasse, Zephyrus autem, invidia commotus, eum repulisse, amatumque ab Apolline interfecisse dicitur, id quidem magni momenti est; sed multo majoris ponderis sunt solennia Lacedaemoniorum festa,

quae singulis annis primo quoque die statim post diem solstitialem aestatis in memoriam hujus rei fiebant. Ovidius lib. X. metamorphos. ad hanc solennitatem respexit v. 217. 218. 219.

Nec genuisse pudet Sparten Hyacinthon, honosque
Durat in hoc aevi, celebrandaque more priorum
Annua praelata redeunt Hyacinthia pompa.

Pompam vero a Didymo Grammatico et Polycrate Lacedaemonio copiose descriptam nobis exhibet Athenaeus lib. IV. Obiter hoc loco indicemus, tres fuisse celebritatis dies, quorum primus luctu, duo reliqui vario genere spectaculorum occupabantur. Hinc etiam apud Herodotum lib. IX. reprehenduntur Lacedaemonii, quod ne difficillimis Graeciae temporibus id genus oblectamenti omitterent. cf. Pausan. III. 19. *τοῦ ἀγάλματος τὸ βάθρον παρέχεται μὲν βωμοῦ σχῆμα, τεθάφθαι δὲ τὸν Ὑάκινθον λέγουσιν ἐν αὐτῷ, καὶ Ὑακινθίοις πρὸ τῆς τοῦ Ἀπόλλωνος θυσίας ἐς τοῦτον Ὑακίνθῳ τὸν βωμὸν διὰ θύρας χαλκῆς ἐναγίζουσιν.* Hanc fabulam ita interpretari licet, ut Hyacinthum alteram modo Apollinis ipsius formam esse censeas, sicut fabulae est, ex variis ejusdem numinis rationibus varias fingere personas. Quodsi, Apollinem solem esse, sumserimus, facile nihil non inter se congruet. Hyacinthus igitur, disco, qui solis orbi similis est, percussus, est sol occidens atque emoriens. Nomen traxit ab hyacintho, flore lugubri, quare etiam Zephyrus, qui solem paulatim deorsum agit, mortis auctor fuisse dicitur. Pausanias lib. III. 19. dicit: *περὶ δὲ ἀνέμου Ζεφύρου, καὶ ὡς ὑπὸ τοῦ Ἀπόλλωνος Ὑάκινθος ἀπέθανεν ἄκοντος, ἢ τὰ ἐς τὸ ἄνθος εἰρημένα, τάχα μὲν ἂν ἔχοι καὶ ἄλλως, δοκείτω δὲ, ᾗ λέγεται.*

Quod ad symbolicas res Apollini per imaginem adtributas pertinet, usitatissimae quaeque ad solem maxime referri possunt, lyra, sagitta et arcus. Nam lyra, quam a Mercurio accepisse fertur, vel harmonia, cujus symbolum est lyra, ad sidera spectat, quae eosdem cursus constanter semper servant. Arcus sagittaeque, quas semper secum portat Apollo, transferuntur in penetrantem vim radiorum, ut poëtae quoque siderum radios cum telis comparare solent, uti apud Euripidem Hippol. v. 532. legimus:

οὔτε γὰρ πυρὸς,
οὔτ' ἄστρων ὑπέρτερον βέλος,
οἷον τὸ τᾶς Ἀφροδίτας.

Magnum pondus ad rem collustrandam habet, quod Homerus eo ipso tempore,

quum Apollo pestilentiam Graecis immittit, sagittas de argenteo arcu retendentem illum facit. cf. Ili. init. Quemadmodum per sagittarum imaginem fabulosa quaedam dei actio exprimitur, sic idem fere aureae comae, quas vulgo de humeris defluere cogitatione fingunt, (χρυσοκόμας Pind. Ol. VI. 69. VII. 58) pacatius dei adtributum significant. Coma est commune solis deorum symbolum, quin etiam lucifer a Callimacho in hymn. in Del. vocatur cf. v. 302. οὖλος ἐθείραις, τοῦτ' ἔστι, addit scholiastes, λαμπρὸς ταῖς ἀκτῖσι. Quum sol omnem vim radiorum emittit, Sol comam promittit; quum vis lucis infirmior fit, coma tonsa est, quo mos quoque pertinet, ut luctu afflicti, quorum vita attenuatur, caput radere soliti sint. cf. Herodot. lib. I. c. 82. Osiris quum se in migrationem circa orbem terrarum daret, comam promisit, ut apud Diodorum I. 18. legimus; quum ille moreretur, Isis comam sibi desecuit. cf. Plutarch. Is. et Osir. c. 14. et Herod. IV. 34. — Apollo Medicus apud Pindarum, ut supra diximus, primo reperitur, quem Aeschylus ἰατρόμαντιν appellat et Sophocles morbos repellere canit. Quod si ad solem refertur, facile apparet. Quum solis appulsum coelo et salutarem et pestiferum esse nemo ignoret, inde facile conjici potest, quare sanationi et pestilentiae una praesit. Quo in loco Homerus eum ut deum pestiferum proponit, Σμινθεύς* vocitatur, (cf. locum apud Clem. Alex. Cohort. ad gent. Πολέμων τοὺς ἀμφὶ τὴν Τρωάδα κατοικοῦντας ἱστορεῖ, τοὺς ἐπιχωρίους μῦς, οὓς σμίνθους καλοῦσι, θρησκεύειν, ὅτι τὰς νευρὰς τῶν πολεμίων διέτρωγον τῶν τόξων· καὶ Σμίνθιον Ἀπόλλωνα ἀπὸ τῶν μυῶν ἐκείνων ἐπεφήμισαν) deus murium, fortasse quia mus symbolum pestilentiae fuit.

Apollinem, qui praeest armentis, jam Homerus Jl. v. 766 commemorat:

Ἵπποι μὲν μέγ' ἄρισται ἔσαν Φηρητιάδαο,
Τὰς Εὔμηλος ἔλαυνε, ποδώκεας, ὄρνιθας ὥς,
Τὰς ἐν Πηρείῃ θρέψ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων.

Pausanias lib. VII. 20. dicit: βουσὶ γὰρ χαίρειν μάλιστα Ἀπόλλωνα Ἀλκαῖός τε ἐδήλωσεν ἐν ὕμνῳ τῷ ἐς Ἑρμῆν γράψας, ὡς ὁ Ἑρμῆς βοῦς ὑφέλοιτο τοῦ Ἀπόλλωνος. Veri simillimum est, Apollinem eodem sensu armentorum deum esse, quo pluribus diis armenta adduntur. Quod vero proxime ad antiquum Solem spectat, est parum adhuc respectum Σαυροκτόνος cognomen. Ita a submotis lacertis cognominatum fuisse Apollinem Hammer in Vienn. annalibus XVII. p. 31 animadvertit: „Die Eidechse wird von den Persern Sonnenanbeterinn genannt, wie die Sonnenwendblume und der blaue Lotos, weil sich dieselben immer gegen die Sonne wenden. Wenn daher die Griechen den Phoibos Sauroktonos den Ei-

dechsentödter nannten, so ist darunter vielleicht die orientalische Idee zu Grunde gelegen, dass er sie durch das Uebermaass der ihnen zu seinem Lichte eingeflössten Liebe tödtete." Quum igitur lacerta, ut et graeca vox *σαῦρος*, et id, quod animadvertit Hammer, demonstrat, ratione quadam ad solem et inde ad Apollinem quoque referretur, Graeci Apollinem interfectorem lacertarum finxerunt, ut hoc modo, quum vis vocabuli excidisset, quo haec cohaererent vinculo, interpretarentur ejusque industriam fabulosam augerent. CeterumApollinem apud Graecos non certius ac definitius Solem apparere, mirum esse non potest, quum praeter Apollinem alii solis dei manserint, in his *Ἥλιος* ipse. Ex orientali Coro et *Ἥλιος* et Apollo prodiit; quum vero *Ἥλιος* primam notionem naturalem pure servaverit et ut deus prior transitum Cori in Apollinem conciliaverit, Coros senex juvenilem induit vigorem et proprium Craecorum deum sese effinxit.

Hunc, ut ita dicam, proprie Graecum Apollinem diligentius considerare conabor. Res attributas, quas Graeci inprimis de Apolline mente conceperunt, simpliciter adpositeque apud Platonem legimus in Cratylo p. 48. Ed. Bekk. *οὐ γάρ ἔστιν ὅ,τι ἂν μᾶλλον ἥρμοσεν ὄνομα ἓν ὂν τέτταρσι δυνάμεσι ταῖς τοῦ θεοῦ, ὥςτε πασῶν ἐφάπτεσθαι καὶ δηλοῦν τρόπον τινὰ μουσικήν τε καὶ μαντικὴν καὶ ἰατρικὴν καὶ τοξικήν.* Ex his quatuor adtributis postquam par secundum jam attigimus, ut de prioribus loquamur, restat. Quae quum autem pertractata et vulgata sint, nihil opus est, plura testimonia ad rem confirmandam afferre. Transeamus igitur ad quaestionem, quomodo hae notiones et inter se et cum prima Apollinis notione cohaereant.

Apollo est ut sol Helios-Coros. Hunc Hyperboreum quasi deum ex tribus potissimum animalium symbolis cognoscimus, quae sunt ei inprimis sacra, ex symbolo lupi, corvi et cycni. — Lupus ex antiquissimis temporibus animal fuit Apollini carissimum. Argis Apollo Danao lupum in faustum omen misit. In Lycia primum delubrum instituit Apollini Lycus quidam, a quo regio appellabatur, et Apollo ipse a terra *Λύκιος*, *Λυκηγένης* nominari coepit. cf. Hom. Jl. IV. 101. In lupi formam mutata Latona, Apollinis mater, ex Hyperboreorum terra in insulam Delum venerat. Qui ex urbe Delphis imbribus deleta Deucalionis temporibus aquarum vi oppressi non fuere, luporum ululatum secuti, feris ducibus ad Parnassi juga confugerunt; quare, quam illic urbem manierunt, Lycorean vocarunt. Sed diversus quoque ab hoc vulgatus est sermo, Apollini ex Corycia Nympha genitum Lycorum, et ab eo Lycorean dictam; antrum vero Corycium de Nymphae nomine appellatum. cf. Pausan. X. 6. Lupum aeneum Delphi prope aram

maximam collocaverant, quia lupus pecuniam Apollini sacram tuitus esset. cf. Paus. XIV. Hominem quendam ajunt se cum sacra pecunia, quam compilasset, abdidisse in ea Parnassi parte, quae maxime esset sylvestribus arboribus condensa: lupum vero, in dormientem impetu facto, illum occidisse: ac deinde quotidie cum ululatu solitum intra urbem penetrare. Id quum non nisi divinitus fieri existimare homines coepissent, feram secuti, aurum sacrilegio ereptum repererunt et ad dei memoriam lupum ex aere dedicarunt.

Lupo inest vis quaedam symbolica, quam, ut recentiores animadvertunt, in his Hug (über den Mythos S. 175), lupis in quibusdam regionibus morem esse dicant, ut sub lucem dubiam appareant, vel ut veteres rem explicant, a coloris natura, qui et clarus et obscurus sit. cf. Eustath. in Hom. Il. IV. p. 448 Rom. *ὥςπερ ὁ κύκνος ἱεροῦται τῷ Ἀπόλλωνι, ὡς ἡλίῳ, διὰ τὴν λευκότητα, καὶ ὁ κόραξ διὰ τὴν νυκτερινὴν μέλαιναν — οὕτω καὶ λύκος ἀνάκειται αὐτῷ, διὰ τὸ μέσον ἀμφοῖν εἶναι τὸ λύκειον χρῶμα· τέφρωδες γὰρ καὶ οὔτε φαεινὸν, οὔτε ἄκρως μέλαν.* Unde apparet, sub lupi imagine transitum ex luce in tenebras, id est, ex vita in mortem latere. Eademque igitur notio, quae in lupo, in corvo quoque Apollini sacro, ut locus Eustathii, quem modo citavi, testatur, cernitur. Quod enim Rabbinorum fama de Noachi corvo tradit, idem Graecorum fabula de Apollinis corvo commemorat, quem, Hygino auctore, quum perfidiam Nymphae ab Apolline amatae vidisset, Apollini nunciasse dicunt, qui eum, quum antea candidus fuisset, pro incommodo nuncio nigrum fecisset. Hanc fabulam planius tractarunt Pindarus in Pyth. III. ejusque scholiastae, qui ad versum 48 et ipsi testantur: *δυςχεράναντα ἐπὶ τῇ ἀγγελίᾳ τὸν Ἀπόλλωνα ἀντὶ λευκοῦ μέλανα αὐτὸν ποιῆσαι.*

De symbolo cycni reperimus, cycnum in terra Hyperboreorum avem borealem primam carissimam et servam dei borealis evasisse. De antiqua fabula, quam Aelianus Nat. Anim. XI. 1. nobis prodidit, refert Vossius in Epistoll. Mytholog. II. Bd. S. 101: „Wann die Hyperboreer dem Apollo durch die Söhne des Boreas, die 6 Ellen hoch sind, sein geordnetes Fest feiern, dann fliegen von den rhipäischen Gebirgen unendliche Schwanenzüge herab; und nachdem sie um den Tempel, wie in heiligem Umgang, sich geschwungen, senken sie sich in des Tempels grossen und schönen Bezirk. Sobald nun Sänger und Saitenspieler dem Gott das harmonische Lied erheben; stimmen auch die Schwäne mit ein, nicht wild und misshellig, *) sondern

*) Vossius in Epistoll. Mytholog. „Den singenden Schwänen, sagt Dionysius (de aucup. 2. 19.), hal-

wie vom Chormeister geführt, helfen sie den kundigsten Sängern des Festliedes; und nach Vollendung des Hymnus fliegen sie hinweg.“ Neque tamen hic festus concentus est, quo cycnus Apollini se dedicat, sed vox cycnea sive extremae moribundi voces, ex vulgato illo proverbio, quod jam apud Aeschylum exstat in Agamemnonis versu 1455, quo de vate Cassandra dicitur:

— Ἡ δέ τοι, κύκνου δίκην
τὸν ὕστατον μέλψασα θανάσιμον γόον.

Optime nobis rem explicat Plato in Phaed. c. 35. Ed. Stallbaum., quo in loco Socrates, quod ad vaticinationem attinet, se cycnis non inferiorem ducit, *οἵ, ἐπειδὰν αἴσθωνται, ὅτι δεῖ αὐτοὺς ἀποθανεῖν, ᾄδοντες καὶ ἐν τῷ πρόςθεν χρόνῳ, τότε δὴ πλεῖστα καὶ μάλιστα ᾄδουσι, γεγηθότες, ὅτι μέλλουσι παρὰ τὸν θεὸν ἀπιέναι, οὗπερ εἰσὶ θεράποντες. Οἱ δὲ ἄνθρωποι διὰ τὸ αὐτῶν δέος τοῦ θανάτου καὶ τῶν κύκνων καταψεύδονται, καί φασιν αὐτοὺς θρηνοῦντας τὸν θάνατον ὑπὸ λύπης ἐξᾴδειν, καὶ οὐ λογίζονται, ὅτι οὐδὲν ὄρνεον ᾄδει, ὅταν πεινῇ ἢ ῥιγοῖ ἤ τινα ἄλλην λύπην λυπῆται, οὐδὲ αὐτὴ ἥ τε ἀηδὼν καὶ ἡ χελιδὼν καὶ ὁ ἔποψ, ἃ δή φασι διὰ λύπην θρηνοῦντα ᾄδειν· ἀλλ' οὔτε ταῦτά μοι φαίνεται λυπούμενα ᾄδειν οὔτε οἱ κύκνοι. Ἀλλ' ἅτε, οἶμαι, τοῦ Ἀπόλλωνος ὄντες μαντικοί τέ εἰσι καὶ προειδότες τὰ ἐν Ἅιδου ἀγαθὰ ᾄδουσί τε καὶ τέρπονται ἐκείνην τὴν ἡμέραν διαφερόντως ἢ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ.* *) Nemo non facile sibi persuadebit, Platonem, qui, ut scripta ejus testantur, symbolum ac fabulam

---

len Felsen und Geklüfte entgegen; sie sind die tonreichsten Vögel, die wir kennen, und darum heilig dem Apollon. Auch singen sie nicht klagend, wie die Alcyonen, sondern lieblich und honigsüss, wie mit Pfeifen und Citherklang. Sie singen vor Sonnenaufgang, um dann in der Einsamkeit hörbarer zu tönen, auch an den Meerufern, wenn nicht Sturm und Wellengeräusch sie stört, dass sie die eigenen Wohllaute nicht hören. Ja, des Gesanges gedenken sie, auch wenn zum Ende sie das Alter führt; nur ist er schwächer, als in der Jugend, weil sie weder den Hals emporheben, noch die Fittiche ausbreiten können. Denn sie nehmen den Westwind zu Hülfe, da träge schon die Gelenke, und die Glieder kraftlos sind. Und wer sterben will, geht bei Seite, wo kein anderer Vogel ihn singen hört. Von den Schwänen stört keiner den singenden, auch wenn er nahe ist, eingedenk, dass auch ihm ein solches Ende bevorstehe.“

*) Cicero quoque hunc Phaedonis locum reddidit Tusc. I. 30. Itaque commemorat (Socrates), ut cycni, qui non sine causa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo divinationem habere videantur, qua providentes, quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur; sic omnibus bonis et doctis esse faciundum.

non tantum certa philosophandi subtilitate, sed etiam fide quadam historica altius magisque penitus perspecta habuit, quam plerique veteres, solum nobis, quae in symbolo vocis cycneae insit notio, sententiam non e vulgari consuetudine ductam, sed ex ideis rationi a natura insitis haustam, demonstrare. Inest igitur in hoc symbolo migratio animi e vita; mors est quasi liberatio et allevatio animi.

Ex symbolo cycni, qui cantum, vaticinationem et mortem complectitur, perspicimus, quomodo, quas supra commemoravi Apollinis virtutes, μουσικὴ et μαντικὴ inter se sint conjunctae. Furor quidam vatis poëtaeque divinus, quo intima Apollinis continetur natura, non iste prae fera rabie exsultans ardor Bacchi cernitur; sublatio animi, quae, quamvis altius enitatur, moderata tamen et considerata; quamvis semper sit in motu, tranquilla tamen et perspicua est, qua internus vitae concentus non tam turbatur, quam augetur ac commode excitatur. Qui alias Deus, furore divino afflatus, vates futuri, item concentus deus esse possit? Ἐπιστατεῖ δὲ οὗτος ὁ θεὸς τῇ ἁρμονίᾳ, ὁμοπολῶν αὐτὰ πάντα καὶ κατὰ θεοὺς καὶ κατ' ἀνθρώπους, ut legimus apud Platonem in Cratylo. Haec vero non tantum illa harmonia et musica est, quam fides lyrae sonant, sed illa musica, quae, ut Pindarus in Pyth. V. 83. de deo, inventore citharae, canit, legem pacificam in animum inducit, quae quasi animi fides contendit nervis, illa musica, quam Plato philosophiam appellavit, qui in Phaed. c. 4. dicit, ὡς φιλοσοφίας οὔσης μεγίστης μουσικῆς; est illa poësis, quae philosophiae, nisi forte suae naturae immemor est, in germanae sororis loco habenda est. Hanc ob causam antiquissimi Graeciae sapientes, id quod caput totius sapientiae perspexerant, sui ipsius cognitionem (Γνῶθι σαυτὸν καὶ τὸ Μηδὲν ἄγαν) in muris templi Delphici incisam tradiderunt immortalitati; ideoque ethicus ille Pythagoras, cui maxime insigne symbolum Apollinis lyra visa est, qui etiam Pythii Apollinis filius nominabatur, in casta piorum ara Deli sacra fecit Apollini, ut ait Diogenes Laërt. VIII. 13. Inde Socrates, qui sui ipsius cognitionem summum vitae fundamentum duxit, philosophiamque musicam habuit, ab Apolline Delphico sapientissimus omnium aequalium judicatus est, et ipse se in carcere ministrum Apollinis nominavit, cujus est, discedentem de vita hymnum deo tanquam pro extrema moribundi voce condere.

Tali ratione si rem consideremus, etiam sub arte medica, cui praeest Apollo, altior fortasse sententia subjecta sit, nec tantum ad corporis, sed etiam ad animi salutem pertineat. Quemadmodum sanatio est corporis purgatio, sic quoque purgatio animi

est, quae in ipsa philosophia, musica dei, cernitur. Eandem sententiam secutus Plato illo loco, quo nomen naturamque Apollinis explicat, in Cratylo dicit: *ἡ κάθαρσις καὶ οἱ καθαρμοὶ καὶ κατὰ τὴν ἰατρικὴν καὶ κατὰ τὴν μαντικὴν, καὶ αἱ τοῖς ἰατρικοῖς φαρμάκοις καὶ αἱ τοῖς μαντικοῖς περιθειώσεις τε καὶ τὰ λοῦτρα τὰ ἐν τοῖς τοιούτοις, καὶ αἱ περιῤῥάνσεις, πάντα ἕν τι ταῦτα δύναιτ' ἂν, καθαρὸν παρέχειν τὸν ἄνθρωπον καὶ κατὰ τὸ σῶμα καὶ κατὰ τὴν ψυχήν.*

Restat, ut pauca dicantur de solennibus Apollinis diebus apud Graecos usitatissimis. Ex his primum pono *Δαφνηφόρια.* Copiosissime eorum solennitatem describit Proclus in Chrestomathia. Versionem Andreae Schotti adjungam: Parthenia quae dicuntur, virginum choris adaptantur, ex quibus etiam Daphnephorica quasi sub genus cadunt. Lauros etenim nono quoque anno ad Apollinis sacra inferentes sacerdotes hymnis eum per virgineos choros celebrabant. Cujus rei haec causa redditur: Aeoles quotquot Arnen, eaque circum loca habitabant, ex oraculo inde egressi, obsidione cingentes, Thebas vastabant, quas et Pelasgi obsidebant. Cum semel ab utrisque Apollini status dies festus esset, inducias pacti sunt, et lauris amputatis, ab his quidem in Helicone, ab illis vero juxta Melanem fluvium, Apollini intulerunt. Polematas vero, Boeotorum dux, juvenem quendam secundum quietem vidit, solidam armaturam ipsi offerentem votaque fieri praecipientem in Apollinis honorem nono quoque anno a laureatis. Tertio post die conserta manu hostem vicit, ipseque lauri gestatione votum solvit. Hinc mos ille religiose observatus. Haec Daphnephoria oleagineum lignum lauris coronant, variisque floribus exornant, cujus in apice aenea sphaera imposita est: ex hac minores dependent. Medio vero ligno purpureae coronae adaptantur, minores quam quae summo fastigio impositae. Imam vero ligni partem circumvestiunt crocotula. Significat autem ipsis suprema quidem sphaera solem, quo Apollinem designant. Huic vero subjecta lunam significat. Globuli vero appensi stellae et astra sunt. Coronae annuum cursum significant: trecentas enim et sexaginta quinque conficiunt. Praeest autem Daphnephoriis puer patrimus et matrimus, cui maxime conjunctus gestat coronatum lignum, quod *Κοπὼ* ipsi vocant. Daphnephorus vero sequitur gestans laurum, comis quidem demissis et fluxis, aureaque corona redimitus, splendidaque veste et talari tunica indutus calceisque, quos ab Iphicrate, sutore patre nato, *Ἰφικρατίδας* Graeci vocant. Hunc virginum chorus comitatur, ramos ad supplicationem, quae hymnis celebrabatur, praetendens. Mittebant autem lauri gestationem ad Apollinis Ismenii et Galaxii fanum. —

Ἄκτια, solemne, quod Acarnanes in urbe Actio Apollini *τῷ Ἀκτίῳ* tertio quoque anno agebant. Instituebatur quoque in eo certamen gymnicum, equestre et navale; ut Stephanus *περὶ τῶν πόλεων* docet. Instante hoc festo die bovem muscis immolabant, ut ejus sanguine saturatae avolarent, neque hoc solenne agentibus ullam crearent molestiam. cf. Aelian. Histor. Anim. lib. IX. c. 8. *Νεὼς δὲ Ἀπόλλωνι ἵδρυται, καὶ Ἄκτιόν γε αὐτὸν οἱ τιμῶντες ὀνομάζουσιν. Οὐκοῦν τῆς πανηγύρεως ἐπιδημεῖν μελλούσης, καθ' ἣν καί τι πήδημα πηδῶσι τῷ θεῷ, θύουσι βοῦν ταῖς μυίαις· αἱ δὲ, ἐμπλησθεῖσαι τοῦ αἵματος, ἀφανίζονται.* Dio Cassius ineunte libro LI. dicit: *Ἀγῶνά τέ τινα μουσικὸν καὶ γυμνικὸν, ἱπποδρομίας τε, πεντετηρικὸν ἱερὸν κατέδειξεν, Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας.* —

Ὑακίνθια solenne in honorem Apollinis et Hyacinthi, imprudenter ab Apolline interemti, a Lacedaemoniis per triduum mense, qui ab illis *Ἑκατομβεὺς* appellatur, in Apollinis *Ἀμυκλαίου* templo, quod inde *Ἀμυκλαῖον* dicebatur, celebratum. Per triduum tenebat solennitas, et primo quidem die ac tertio, quo occisum Hyacinthum deflebant, coenabant sine ullis coronis, quod in aliis sacris solitum erat; neque panem appositum habebant, sed bellaria; neque hymnum deo ullum canebant, sed a coena ordinate discedebant; secundo autem maxima laetitia agitabatur, ludique et spectacula edebantur, puerique in tunicis praecincti citharam pulsabant atque ad tibiam canebant: alii in equis exornatis per theatrum discurrebant. Accedebant frequentes adolescentum coetus, regionis suae poëmata quaedam cantitantium. Permixti his erant saltatores, staticulos prisci moris dantes ad tibiam, et cantum; virgines quoque, pilentis tectis vectae, splendide instructis, pompam spectatum veniebant. Ac publicum tota urbe eo die gaudium erat; multaeque passim hostiae caedebantur, et urbani familiares ac servos domesticos ad coenam vocabant. Peracta esse singulis annis Hyacinthia, videbis apud Ovidium Metam. lib. X.

— celebrandaque more priorum
Annua praelata redeunt Hyacinthia pompa.

Ἑβδόμη festum erat apud Athenienses solenne, quod septimo lunae die, quem Apollinis natalem credebant, in ipsius honorem peragebant, ut refert Suidas et Athenaeus lib. XIII. Causam hujus solennitatis Hesiodus *ἐν Ἡμέραις* ostendit, dum canit:

— *καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ·*
τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

Hinc Apollo Ἑβδομαγένης a sacerdotibus vatibusque appellatus est, teste Plutarcho Sympos. lib. VIII.

Θαργήλια sacra apud Athenienses Apollini et Dianae mense Thargelione, quem Romanorum Aprili respondere volunt, agebantur. Erant autem duo Thargeliorum dies, sextus et septimus. Sexto civitatem Athenienses lustrabant, auctore Diogene Laërtio in vita Socratis. Septimo vero die natus erat Apollo. Hoc die solenni fructuum seminumque primitias, quae tum e terra provenerant, circumferebant, et in ollis coctas deo *Θαργηλίῳ*, qui idem est cum Sole, offerebant choreasque ducebant. Hinc *Θάργηλος*, olla, dicta est, in qua percoquebantur frugum primitiae, ut refert Hesychius in lexico, ubi ita scribit: *Θάργηλος χύτρα ἱεροῦ ἑψήματος*.

Πυανέψια, sacra apud Athenienses in honorem Apollinis septimo die mensis Pyanepsionis agitata, in quibus fabas et legumina coquebant. Originem hujus festi dedit Theseus, qui, e Creta salvus et incolumis reversus, annonae reliquias in olla miscuit et diu coctas sociis exhibuit. (Vide Plutarchum hac de re in Theseo.) Non solum autem in his sacris fabas coquebant, sed et ramum oleaginum, qui Graece *Εἰρεσιώνη* appellatur, circumferebant. Erat vero ramus iste oleaginus lana obvolutus, omnigenisque terrae fructibus onustus, quem supplices apud Graecos olim quotannis stato tempore in honorem Cereris, vel aliis auctoribus, Apollinis, ante ipsius templi fores, vel ut alii volunt, ante aedium januas ad arcendam famem seu pestem ex oraculi praecepto statuebant.

Ἀπολλώνια, festus dies, qui apud Sicyonios Apollini agitabatur, quo pueri et puellae septem ad fluvium Sytham euntes Apollinem et Dianam in Suadelae fanum ducunt. Rem et originem Pausanias in Corinthiacis ita narrat: Apollo et Diana quum occidissent Pythonem, purgaminum causa iverunt Aegialeam. Sed quum horror iis obortus esset, illic ubi nunc quoque locus vocatur Phobus, illi quidem in Cretam ad Carmanorem averterunt se, incolas autem Aegialeae morbus corripuit; et a vatibus jussi sunt placare Apollinem ac Dianam. Illi autem pueros septem totidemque puellas ad Sytham fluvium mittunt supplicaturos. Ab his inductos deos dicunt in arcem, quae tunc erat, venisse, et locus, quo primum venerunt, Suadae templum est.

Δελφίνια, dies solennis Apollini *Δελφινίῳ* ab Aeginetis mense *Δελφινίῳ* agitata. Erant et *Δελφίνια* certamen, constans *πεντάθλῳ* seu quinquertio (*πένταθλον* est *ἅλμα, δίσκος, δρόμος, πάλη, πυγμή*), itemque in honorem Apollinis ab Aeginetis in-

stitutum. Celebatur vero Apollo ὁ *Δελφίνιος* non duntaxat apud Aeginetas, verum etiam apud Athenienses, qui illi templum non longe ab aede Jovis *τοῦ Ὀλυμπίου* exstruebant teste Pausania in Atticis.

Δήλια frequentissimo hominum conventu solita celebrari testatur Thucydides libro III. Originem dedit Theseus; nam rebus ex animi sententia gestis, e Creta repetens Athenas cum pueris, qui Minotauro tributi nomine quotannis pendebantur, Delum appulit; ibique imaginem Veneris, quam oraculi Delphici monitu fecerat ducem itineris, consecravit, et sacra choreasque instituit, quas omni post tempore Delii observarunt. *) cf. Callimach. hymn. in Delum v. 307 etc. Hujus facti anniversarium diem Athenienses coluerunt, quod ex voto Thesei et eorum, qui simul navigarunt, institutum refert Plato in Phaedone: *Τῷ οὖν Ἀπόλλωνι τότε, εἰ σωθεῖεν, ἑκάστου ἔτους θεωρίαν ἀπάξειν εἰς Δῆλον· ἣν δὲ ἀεὶ καὶ νῦν ἔτι ἐξ ἐκείνου κατ' ἐνιαυτὸν τῷ θεῷ πέμπουσιν.* Mittebant autem per legatos, quos *θεωροὺς* vocabant. Quippe legatos ad principes aut quoscunque mortales appellant Graeci *πρέσβεις* vel *πρεσβευτάς*. At qui procurandae religionis causa mittebantur, *θεωροὶ* nuncupabantur. Sic refert Plutarchus, solitos mitti Athenis *θεωροὺς* in Delum ad ludos Olympicos, Pythicos et alios, qui more majorum pro sua republica sacra facerent et dona diis offerrent. Proprie, qui in Delum mittebantur, *Δηλιαστὰς* appellabant. Qui his praeerat, *Ἀρχιθέωρος* dicebatur. Navis autem, qua vehebantur, *Δηλιὰς* vocabatur. Quippe naves sacrae numero erant quinque, quibus Herodotus lib. VI. commune omnibus nomen *Θεωρίδος* statuisse videtur. Callimachus hymn. in Delum v. 314. 315.

Ἔνθεν ἀειζώοντα Θεωρίδος ἱερὰ Φοίβῳ
Κεκροπίδαι πέμπουσι τοπήϊα νηὸς ἐκείνης.

Antiquissima omnium sacrarum navium fuisse *Δηλιὰς* dicitur; nam illam Athenienses ad Demetrii Phalerii tempora servarunt teste Plutarcho in Theseo: *Τὸ δὲ πλοῖον, ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἠϊθέων ἔπλευσε, καὶ πάλιν ἐσώθη, τὴν τριακόντερον, ἄχρι τῶν Δημητρίου τοῦ Φαληρέως χρόνων διεφύλαττον οἱ Ἀθηναῖοι, τὰ μὲν παλαιὰ τῶν ξύλων ὑφαιροῦντες, ἄλλα δὲ ἐμβάλλοντες ἰσχυρὰ, καὶ συμπηγνύντες, οὕτως ὥστε καὶ τοῖς φιλοσόφοις εἰς τῶν αὐξομένων λόγον ἀμφιδοξούμενον παράδειγμα τὸ πλοῖον εἶναι, τῶν μὲν ὡς τὸ αὐτὸ, τῶν δὲ ὡς οὐ τὸ αὐτὸ*

*) cf. Plutarch. in Theseo: *ἐκ δὲ τῆς Κρήτης ἀποπλέων εἰς Δῆλον κατέσχε, καὶ τῷ θεῷ θύσας, καὶ ἀναθεὶς τὸ Ἀφροδίσιον, ὃ παρὰ τῆς Ἀριάδνης ἔλαβεν, ἐχόρευσε μετὰ τῶν ἠϊθέων χορείαν, ἣν ἔτι νῦν ἐπιτελεῖν Δηλίους λέγουσι.*

διαμένει λεγόντων. Eandem vero fuisse navem *Δηλιάδα*, et qua vectus fuit in Cretam Theseus, manifesto docet Plato: *Τοῦτό ἐστι τὸ πλοῖον (ὥς φασιν Ἀθηναῖοι) ἐν ᾧ Θησεύς ποτε εἰς Κρήτην τοὺς δὶς ἑπτὰ ἐκείνους ᾤχετο ἄγων, καὶ ἔσωσέ τε καὶ ἐσώθη.* Antequam mitteretur, coronis ornabatur. Idem Plato: *Ἔτυχε γὰρ τῇ προτεραίᾳ τῆς δίκης ἡ πρύμνα ἐστεμμένη τοῦ πλοίου, ὃ εἰς Δῆλον Ἀθηναῖοι πέμπουσι κατ᾽ ἔτος.* Hoc autem non est temere dictum; nam a puppi coronanda festi principium sumebatur. Inter *πομπεῖα* recenseri debent primitiae Hyperboreorum, quae per multas ambages in Graeciam advectae tandem ab Atheniensibus in Delum deferebantur *). Ara Delii Apollinis inter septem orbis terrarum spectacula celebrata. **) Circum hanc aram exemplo Thesei (quod jam antea exposuimus) choros ductabant, atque inter saltandum aram verberibus, et oleam morsibus impetebant. Callimachus in hymno in Delum v. 316 etc. canit:

Ἀστερίη πολύβωμε, πολύλλιτε, τίς δέ σε ναύτης
Ἔμπορος Αἰγαίοιο παρήλυθε νηῒ θεούσῃ;
Οὐχ οὕτω μεγάλοι μιν ἐπιπνείουσιν ἀῆται,
Χρειὼ δ᾽ ὅττι τάχιστον ἄγει πλόον· ἀλλὰ τὰ λαίφη
Ὠκέες ἐστείλαντο, καὶ οὐ πάλιν αὖθις ἔβησαν,
Πρὶν μέγαν ἢ σεο βωμὸν ὑπὸ πληγῇσιν ἑλίξαι
Ῥησσόμενον, καὶ πρέμνον ὀδακτάσαι ἁγνὸν ἐλαίης,
Χεῖρας ἀποστρέψαντες.

Triplex videtur fuisse chorus e viris, mulieribus et pueris. Hinc apud Plutarchum et Demosthenem saepe occurrit *χορὸς παίδων, χορὸς ἀνδρῶν.* Thucydides autem vocat *Δηλιακὸν χορὸν τῶν γυναικῶν.* Et Homerus in hymno Apollinis puellas Deliacam choream saltantes alloquitur v. 169.

Ὦ κοῦραι, τίς δ᾽ ὔμμιν ἀνὴρ ἥδιστος ἀοιδῶν
Ἐνθάδε πωλεῖται, καὶ τέῳ τέρπεσθε μάλιστα;

Praeter choros etiam certamina musica agebantur, quibus Athenienses equorum cursus adjecerunt, ut auctor est Thucydides lib. III. Verum intermissa sacra sunt, quamdiu insula illatis cadaveribus profanata censebatur. Pisistratus expiare coepit, sed non totam. Herodotus lib. I. c. 64. *Πρός γε ἔτι τούτοισι τὴν νῆσον Δῆλον καθήρας ἐκ τῶν λογίων. Καθήρας δὲ ὧδε· ἐπ᾽ ὅσον ἔποψις τοῦ ἱεροῦ εἶχεν, ἐκ τούτου τοῦ χώρου παντὸς*

*) cf. Pausan. I. c. 31.
**) cf. Plut. in libro de solertia animal.

ἐξορύξας τοὺς νεκροὺς μετεφόρεε ἐς ἄλλον χῶρον τῆς Δήλου. Athenienses autem expiarunt universam et legem tulerunt, ne quis in ea nasceretur, moreretur aut sepeliretur, assignata Rheneia Delo vicina insula, in qua defunctis justa persolvere liceret. cf. Thucydid. lib. III. Hinc apud Plutarchum in Laconicis acute Pausanias Delios cum Atheniensibus de jure insulae disceptantes et asserentes, lege cautum esse, ut neque parerent in ea mulieres, neque mortui sepelirentur, hoc dicto repressit: *Πῶς οὖν αὕτη πατρὶς ὑμῶν εἴη, ἐν ᾗ οὔτε γέγονέ τις ὑμῶν, οὔτ' ἔσται;* Redeuntes autem *θεωροὺς* sive legatos populus laeto concursu, omnibus certatim ostia pandentibus, salutabat atque excipiebat.

Sed cum finis sit faciendus scribendi, meque non tam illud egisse profitear, ut nova proferrem in medium, quam ut delectum adhiberem ad ea, quae viri docti quum veteres tum recentiores commentati essent, reliquum est, ut laeto officio satisfaciam et solennia indicam anniversaria, ad quae rite celebranda, ut vos, discipulorum parentes, Proceres hujus urbis amplissimi, et quicunque literarum ludis favetis artesque bonas colitis, quam frequentissimi quamque benignissimi conveniatis et actum scholasticum praesentia vestra decoretis, ea, qua par est, observantia rogo et oro.



Errata. Pag. 3. lege: θυμόν et θυμός. — Pag. 3. verba l. verba. — Pag. 19. l. 2. Apollinem l. Apollinem. — Pag. 19. l. 6. deleatur syllaba dis.

Reliquis, quae ad interpunctionem et accentus spectant, veniam dabit lectoris indulgentia.

